Rosa.

Krupecki Andreae Gregorii: Coronamentum sanctitatis et vitae S. Ludovicae et Rosae.

CORONAMENTUM

Sanctitatis & vitæ

SS: LUDOVICI & ROSÆ,

Dum ad ſolennem Canonizationis actũ,

Triumphali ritu.

Ad Ædes SS: Triadis

Cum effuſo in immenſos applauſus exciperentur Gentis Polonæ.

GAUDIO

Votiua Oratione

IN AMPLISSIMA DOCTISSIMORUM VIRORUM CORONA.

A

M. ANDREA GREGORIO KRUPECKI,
Philoſophiæ Doctore ac Profeſſore.

CELEBRATUM.

Anno Salutis reſtauratæ 1671. Die 11. Octobris.

CRACOVIÆ,
In Officina SCHEDELIANA S. R. M. Typograph:

e.

In Stemma Illuſtriſsimæ Domûs SKARSZEWIANÆ.



Horrea dum ſpectas SKARSZEVIA germine vana,
Vana tamen non ſunt laudibus ac meritis.
Nam pridem Patriæ totas fruges tribuerunt,
Et meſſem totam nil retinendo ſibi.

ALBERTUS ZABOROVVSKI,
Audit: Gramm.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,

D. STANISLAO A SKARSZOW SKARSZEWSKI,

Castellano Woinicensi Magno Procurationis Cracouiensis Administratori, Drochobicensi, Złotoriensi, Baruardiensi, &c. &c.

CAPITANEO.

Domino, Domino & Patrono COLENDISSIMO.

IMpleuit nuper fama vniuersum Septemtrionis Orbem, imò irradiauit, insueto Sanctitatis lumine SS. Ludouici & Rosæ *Polonas sedes,* Illustrissime ac Excellentissime Domine. *Nouum id decus nouo pectorum nostrorum exceptum applausu, mentem quoq; solicitauit meam, vt deuotæ istius Panegyris dedicationi, clarissimum Tuum aduocem Patrocinium. Nec mirum equidem vocat enim insigne virtutis heroicæ, vetus admodum & ad omnem Poloni Orbis dignitatem natum Gentilitium, in quo virtutes ceu ex composito, supremam dum occupauerunt stationem gloriosius nusquam inuenêre suis habitaculum splẽdoribus. Angustum certe est, quidquid ex blando venit voto ad commendationem futuræ posteritati. Habebit equidem quod suspiciat in Te non ad vanam alicuius fucatæ famæ iactationem verum ad æmulam ex tuis virtutibus imitationem, in peius iam nunc eunti sæculo propositum exemplar, cui non in adulationem seruum pecus blandientium, fumosas apponet imagines : Sed ipsa perennis gloria suaui susurro loquetur posteris Virũ, cuius Candor in Patriam, raro exemplo fidelitatis suæ, inter confusa partium studia explicuit integerrimum pectus. Atq; ignarus odij supra inuidiam ordinauit fida ad salutem publicam consilia, tam parum de priuatis solicitus odijs quam certe de communi rerum persuasus incolumitate. Nec prima ista in Te est virtutis indoles, fuère certè clara in rostris Maiorum tuorum facundiæ Lumina Luxêre in Senatu* Illustris Prosapiæ Tuæ *decora; quorum magnitudini tantũ Senatorium adaugere potuit honoramentum,*

tum, quantum generosi Spiritus innatæ dexteritatis longa seriè ab Illustrisimis Comitibus, STANISLAO de SKARSZOW & ANDREA Castellanis Calisiensibus, PETRO Gnesnensi, & STANISLAO Biechouiensi, IOANNE Capitaneo Ilzecensi, suæ præstantiæ à primis Regni Poloni explicabant claritudinem incrementis. Neq; tantum Reipub. ex Clarißimis venit gloria Viris & vestræ honor Domui. Ad stuporem Orbis Poloni gratulabantur nobis Regiones exteræ Cœlitus fermè datos Ecclesiæ Pastores. Illos Bernardos Posnanienses, Florianos Plocenses, Petros Cracouienses Præsules. Quorum hucusq; liberalem manum, & effusam magnifici pectoris loquuntur beneficentiam tot Basilicæ, quotcunq; felicitate rara tantis vigilibus potiebantur rerum suarum custodibus. Ita semper in sublimes scandebat ascensus vestrorum gloria meritorum, & si quando fortuna cæca defuit succeßibus, non tamen altam ab incepto cursu immortalis famæ reuocauit mentem. IOANNEM Germanum Tuum decus Peraugusti Capituli Cracouiensis, quid memorem; in quo Maiestas ex sui magnitudine animi, contecta modesto sensu, imò verò insolita prudentia, eminebat tamen, & Virum commendabilem, admiratio citra sua excipiebat vota. Illustrissimi Parentis Tui Nicolai Castellani Radomiensis Sacræ memoriæ, celebranda haud segni Calamo, quantum torsit præteriti æui ingenia. Cuius probitatis & vitæ integerrimæ, ad priscos Polonæ virtutis mores formatæ, non facilè cuiq; erat politiori etiam complecti Minerua. Felici fato rerum citra fluctuantem, in sua mobilitate vicißitudinem Domus vestra per omne Poloni Orbis sæculum, in Maiores aßurgebat splendores. Cui heroica ista conueniebant vt & feliciori conueniunt successu Tibi Illustrissime incrementa quibus iam succumbit nunc primum ingreßa campum facundia. Neq; credere fas est angusto isti loco, tanti prædicationem Viri. Ex quo Respub. subsidium in ambiguis certissimum, Princeps fidelem animum, Patria calamitatum leuamen remedium potius ex perspicacissimo consilij & genij acumine; dum cupide præstolatur, reportat copiosius. Viues in Tuo & Tuorum fulgore, suffragium rebus afflictis Patrocinium pupillus, protectionem legibus & nostræ allaturus Academiæ. Viues in Tua charissima Prole & propones virtutum Posteris amplissimum theatrum venerandum in Illustribus tuis IOANNE ANTONIO & IOSEPHO FELICIANO Filijs. Quorum futuro successui SS. LVDOVICI & ROSÆ lumina pro Tua liberali munificentia & illorum celeberrimi Actûs ornamento placabilia offerent Numina. Et ad augem honoris, gloriæ, & virtutum perducent heroicarum. Quod ego dum voueo Tuis nunquam finem visuris laudibus succumbo officiosius.

Illustrissimæ ac Excellentissimæ Magnificentiæ Tuæ.

Cliens æternum deuotus

M. ANDREAS GREGORIVS Krupecki, Phil. Doct. & Profess.

ORATIO.

MAgna illuſtris amplitudinis Nomina à longinquis Gentium nouiſsimarum venientia oris Stylo affectu, genio, voce, obſequio non celebrare, non dico inhumanum, ſed inuerecundum & impium eſſe, A. Habet Diuini quiddam iuris humana mens in ſublimibus reſidens pectoribus, imò naturæ incorruptæ communionem perpetuam, ipſa probitatis Specie per omnia Authorem ſecuta rerum, adeoq; aſpectu venuſtiſsima cœleſtes ſpirat gratias, Cœleſtium quodam ſingulari priuilegio, vt in terris æternæ Maieſtatis honor & veneratio per maxima minimaq; æquali diffuſa intentione ius explicet ſuum. Nec vano liberi voti aut friuolæ innitor arbitrio mentis, tot iam vocibus proclamatum eſt, ore etiam ipſo Æternæ veritatis paradoxum iſtud, ſeruataq; terreſtris magnitudinis illæſa præſtantia, ſcilicet non inuidet ſuam mortalibus fortunam illa Maieſtas immortalis, ac tantùm cum illis partitur ſua, quantum menſura humanorum eſt capax votorum. Præclarum equidem

dem est potiri suo bono, & ex alienis suaues colligere fructus laudibus, in maiorem quippe vbertatis suæ excrescere molem plus de proprio quam alieno accipiendum est. Felicem in hoc magnitudinem, felices in magnitudine Viros quibus tanta venit aliunde etiam illius accessio boni, pro cuius possessione sudor, sanguis, & illud altum Regale, infatigabile, (virtutem intelligo) opponitur bonum. Et certè si qualecunque est splendoris ius veri, ad non fucatam in momentaneis commendationem, quid tandem vocibus Cælestium approbatæ claritudini opponemus? non hic pro ingenio facultas formabitur dicendi, vilis cum tenui conticescet ingenio loquella, in tanta triumphantis Ecclesiæ lætitia, & publico vestrum omnium applausu, affectu certandum est, non eloquentia, vincit effusum liberalis vultus vestri gaudium in immensum hamanam facundiam. Vincit ipsa rei magnitudo ausus maximos, suis, vtcunq; fidentes viribus. Cœlestis splendor Clara facie lucis, frangit communem dicendi sensum. Sed aude animè, aggredere meditatum opus, eripe te rebus humanis En magna Nomina Septemtrionales sua magnitudine circumsonant plagas. LVDOVICVS & ROSA Terras aduentant nostras, i obuiam gratos hospites gratissima excipe humanitate, maximum, inde relaturus præmium, si legatos leuandis rebus nostris afflictis & turbatis, non vt Abraham instructa & compositâ ad pingues epulas mensâ, sed pio affectu, sed corde integerri-

mo,

mo, liberali in deuotos applausus pectore, inuitabis. Poscit hoc rara illorum Sanctimonia, poscit religio, poscit præsens hilaritas, & amplissimum coronamentum: Cuius dum vmbratilis hæc suada, languido claritudinem attentat explicare genio; Tu Deuote Aud: quem Solennis hæc conuocauit vaticani triumphi, & amplissima totiûs Ecclesiæ celebritas applaudentem rebus concede aurem & liberalem in effusa rerum materia angustæ propone beneuolentiam dictioni.

Coronata suis virtus trophæis ipsa sibi & præmium & encomium, rostra sublimia cothurno laudum, non minus exornans quam exonerans; suæ amplitudinis fructus immortales, nec numerare par, nec iactare auida; quocunq; Terrarum placidissimum suum circumfert vultum plures admiratores percenset quam præcones, vndiq; tripudijs, vndique cum studio erumpentibus stipata votis, affectibus desiderijs pedem vel primo limini triumphalem figere non vsqve cum placida sua didicit industria, scilicet præluстri sic visum & placitum magnitudini, nunquam surdis aut Squallentibus dare nomen angulis, quanquam & in illis suus latitare nescit fulgor, supremum illum per arduam superatum luctam ascensum, in luce, in facie, in oculis populorum versari experimur. Stupendum virtutis ingenium ad omnes innata vi duratum impetus, fractis angustiarum perfectioni suæ obstantibus iniurijs, illud denique cogitur at-

tentare aut verius occupare bonum, pro quo infirma fragilis nostræmortalitatis ægrè certant studia. Et certe miramur omnes immensum iubar, virtutis, tot circumseptum vndiq; radijs, quotcunque heroicarum actionum specimina, largos suos cum infracta magnitudine explicant ordines. Nunquam enim pulcherrimū bonum suo frustratur decore, & meritum Authoris in maius semper excreuit encomium. Primam istam à cunabulis traxit virtus indolem, cui prodigiosas circa caput non nouum intueri flammas & rebus dubijs secundum polliceri Vaticinium, vt vel nomen ipsum Sanctum primo exortu orbi sese venerandum objiciat. Vidit Orbis Claras in suis fulgoribus virtutes aut suos in virtutibus fulgores; nunc etiam cum stupore ad sæculorum æmulam imitationem in nostro LVDOVICO & ROSA nunquam sine magna honoris profusione memorandis suspicit accuratius. Quidquid enim magni aut supra humanæ conditionem naturæ assurgere in ingentem potuit molem, id rara felicitate illorum insitum animis, Cœlestes etiam non mortales fatigaret cogitationes. Magnum profectò est balbutienti ore né confusa quidem verba effundere posse, & iam insignes virtutum heroicarum producere fructus, iam Cælos onerare votis prius virtutis quam communis lucis aut creati sensum percipere mundi, prius dulcedinum immortale haurire nectar antequam innata lactis materni veniat cupido. Habet aliquid credulitatis suspecta antiquitas infanrem

infan-

Herculem angues ſuis elidentem fingens viribus; iam enim magis, quàm Herculiana agitati virtute primordijs laborum infantes noſtri ſuam opponunt innocentiam; tetrum & primoquoq; aſpectu formidabile certamen, pio auſu, Diuino potius ductu, ſine ſuis ineunt viribus. Hanc nimirum magnarum mentium naturam eſſe, menſuram ſuis non præſcribere viribus, & ipſam ætatis maturitatem, factorum maturitate præuenire. Nec alius decuit animus Sanctos noſtros in tantum magnitudinis & Sanctitatis ituros theatrum. Lubet enim iam in ampliſsimam eorum vitæ excurrere Sanctimoniam, quæ non tantum à primis illuxit incunabulis; verùm innumeris ſtipata meritorum fulgoribus, in graui & horrenda omnibus lucta, quibuſcunq; hæc immenſa Orbis compages in oculos venit, cum Communi & iurato nomini noſtro infernali prædone, cum delicijs, cum ipſa fortuna, victrix ſemper in maiorem lucis ſuæ exiuit claritudinem. Quid enim expectari potuit à tanto pijſsimarum mentium in longinquiſsimis partibus exortu? niſi in ſupremo conſtituta gradu perfectio virtutum omnium omnes cum faſtu arroganti in fumum abituras ſpes blandientis mundi propulſura quid Sanctius ſperari? quam ineffabilis illa in delicium cordis Diuini natorum luminum vnio; quid gratius & rebus commodius noſtris? quam rarum illud exemplar probitatis, erroneos componens, in integrum perfectionis Chriſtianæ ſtatum, cogitatus. Vidit valentia,

 imò

imò tota Hiſpania, valido ſemper niſu currentem in odorem ſuauitatis Diuinæ LVDOVICVM ſuum, & quanquam modeſtiſsimo loco pietatem explicare conantem, nunquam tamen, quamuis obſcura latuit virtus, ſed clara ſua extulit indicia. Amor ille in immenſum erumpens bonum, quot in immatura ætate maturos expoſuit fructus, tyrocinia illa Sanctitatis, nunquam cum humana comparanda poſsibilitate, crediderim extra naturæ ſenſum ſita fuiſſe; illa maceratio continuis ieiunijs tenuiſsimos & paruo etiam comparatos ſubtrahens ori ſacro cibos. Illa ſeuerior quietis parſimonia, inſomnes (heu quantus rigor innocencentis animi plerumque) ducens noctes, caſta ſemper mens, caſta conſcientia, cum obdormire non potuit laſſo corpori vix ad modicam quietem durioris humi aut informis ligni arbitrium dedit; indolens quotidiano in miſeros homines calamitatum inſultui; commiſerationem Chriſtianam vario exercuit officio, vt quocunq; modo alienarum leuaret grauitatem anguſtiarum, vltrò grauibus deuouebat ſe difficultatibus.

Vidit & Lima Vrbs Peruiæ celeberrima illimem ROSAM, imò tota America, pars noua orbis, nouum vaſtitatis ſuæ decus, per totum diffundens mundi ambitũ odorem ſuauiſsimum, fragrantia cuius cœlos penetratura, ſui candoris æternas impleret dulcedine mentes. ROSAM inquam naturæ prodigium, cui cœleſti venit prodigio nomen ROSAM cælituum, delicium præcipuos

cui

cui cæli fauores inter filios & filias hominum nunc primum sortiri contigit ore sacrosanctæ Virginis contextum encomium. ROSA à Sancta MARIA. Felicem verè ROSAM, in perpetua vernantem sæcula; quo Magistro infans Virgo ad te meus vmbratilis sermo) effusa in Diuinos amores quinquennio Sanctum illud virginitatis tuæ concepisti votum? Hæccine mentis puerilis indoles, cui mille fluctus in sua obueniunt leuitatis incertitudine. Non potest magnum aliquid nisi à consumata mente & alto prouenire spiritu. Vnde tibi infanti tanta magnanimitas, haud vtiq; cum summis conferenda viris. Certandum esse cum Capitali imò domestico hoste, ad cuius vel primum congressum frangi humanas vires, in consuetudine est, quæ ista fiducia? Nec Annibal suo ausu ad aras perpetuo auersionis & infensi animi contra Romanos strinxit se voto. Nec Scipioni robur suum contra Pænos tantum adauxit animi fuerê illis fortunæ, fuerê facultatum subsidia. Sed Vicisti o ROSA, fragranti tuo candore, omnes mortalium conatus fragili innixos magnitudini: ætas illa innocens, quod ex sancto didicit spiritu, pactum id ad extremos vitæ conseruauit dies; vicisti Cœlestem Sponsioni tuæ applaudentem Sponsum, imò vulnerasti non iam in vno Capitis tui Capillo, sed omnem Cæsariem decus indolis muliebris eximium amputando. Omnis tua dulcedo in Sponso cordis tui, fel amarissimum contra naturæ ipsius fastidium potum, delicato tuo sufficie-

bat ori, inedia extenuatum corpus non vſum carnis ad reficiendas vires tibi perſuadere potuit, cui & ipſam exiguam admodum panis quotidiani ſubtrahebas portionem. Quid agis o ROSA contra natnram eſt torquere corpus ſuum, ſquallorem appetere, cibis non tantum vilibus, ſed tætris & horrendis vti, ſtupendam vitæ Sanctimoniam! ſæuire in corpus ſuum licet modum ſæuiendi excedere non licet. Exceſsiſti o ROSA candidiſsima varijs cruciatibus, Cilicijs catenis, imò tormentis infirmum exagitando corpus. Natura liberum in nocturnam cuiq; quietem conceſsit arbitrium, o quam miris turbaueras illud modis? Cubile illud ad ineffabilem cruciatum ex fragmentis teſtarum compoſitum, quod tibi ſomni interrumpebat dulcedinem cùm duram frangere non potuit mentem, fregit tandem ſenſum, dum exanimis à cordis tui dilecto Sancti propoſiti placidâ excipis confirmationem aure: cui lectulus ille pretioſus (Crucem ſanctam intelligo) cum tuo conferendus erat lectulo. Inſueta hæc ſunt. O A. Sanctitatis & vitæ in ſæuientem rigorem exempla prolabentia, liuor malignus orbis obliquo ſemper aſpiciens virtutem oculo, tantũ non potuit lucis in medio tenebrarum ferre exortum cuius ſuauiſsimo & candidiſsimo vehementius offendebatur ſplendore. Nec defuerunt ſane, qui genio ſæculi conformare, ſinſecus deprauare clarum virtutis Satagebant iubar. Vota illa Sanctiſsima ſtrictioris vitæ petebant conuentum, & vnum Religioſæ diſciplinæ deſide-

rium

rium Sanctas æqualis pietatis zelo iunxit animas, quas sæuus furor à tam pio proposito non vno deterrebat incommodorum genere, suadebatur vitæ delicatioris improperus status molli lenocinio, fucatæ cum scenico fulgore inducebantur deliciæ, blanda illa voluptatis facies, mortalium cæco impetu mille deuouens incommodis pectora, in longum suas fallaces explicabat artes. Sed non potuit castas & heroicas ab actu heroico reuocare mentes, imò corroborauit magis, diu luctantia corda, inter temerarios impiorum votorum ausus. Quanta hæc est gloria vestra ô Cœlestes deliciæ. Scyllam præternauigastis nec abripi potuistis. Charybdi conseptæ, non retentæ Circes poculum bibistis non mutatæ ad Lotophagos accedendi non remanendi indicta necessitas, Sirenes conspicere non accedere concessum vobis. Nimirum arcanũ istud naturæ esse, latens orbis Scientiam in viuis numerari, & vitalibus non subesse affectionibus, vti communi viuendi luce non tamen frui sensibus. Quid nunc cum fluxo blanditiarum ages impetu o munde? Victoria cui iam in vsum venit, cum ferox tuum & haud difficulter vinci paratum submittis collum. Sed certat adhuc Parentum contumax studium, non precibus, verùm grauiori obiurgatione, & duro verberum conflictu, mentes Sacras magis affligendo, quam pio deturbando proposito. Verùm vana hæc est formidinis vmbra: Amori non violenta manus inijci potest, non carcere impediri valet obscuro, non vinculis deti-

neri, it inuincibilis, quo sua vocat virtus; nec ardua impediunt, nec mollia frangunt, nec aduersa deprimunt, nec secunda inflammant æquabili cursu intentionis, ad suum fertur bonum. Venit ergo iam ad feruentioris finem desiderij expectatio, celeberrimam vestram Religiosissimi duo luminaria subeunt cum suis fulgoribus Sphæram, veniunt cum sua claritudine, claritudinem ferunt, an quærunt, ambiguum! scilicet explicandæ Sanctimoniæ, non vtique magni capacitas orbis illis sufficere potuit, suffecit angustus locus Sanctorum tritus pedibus Virorum, in quo Diuinæ soles Sapientiæ in perpetuas fulgebunt æternitates in quo suaueolentes HIACINTHI insatiabilem iucunditatis Dei spirabunt dulcedinem, in quo tot radiantia in suis virtutibus sydera, perpetuum dedêre posteritati nomen. Annuit Diuina Maiestas casto religiosæ intentionis voto, effusam infinitæ gratiæ offert copiam. Hic iam Senensis CATHARINÆ iterum conspicio in ROSA Vestra Coronas, iam suauissima DOMINICI Prædicatio facundo ex ore LVDOVICI, immortale fundens nectar ignotas personat terras, imò Gentium diuersarum rudi & ad crudelitatem magis, quam humanitatem nato, cum vestra etiam Religiosissimi admiratione venit in captum intellectui. Quam magna vis virtutis adamante frangens & dissipans intractabiliorem cordis duritiem. Hoc demum est Aud. cordi loqui, & verbum mentis interiori porrigere sensui; Nec me rapit admiratio tanti vestri

o Magna

o Magna terris lumina in cælos iam properantia miraculi. Loquuntur enim vel ipsa in duram saxi molem, naturæ, vi, indurata pauimenta, rigorem vestræ castissimæ vitæ, quæ madentem sanguinem & continuis currentem corporis flexibus excipiebant liberalius. Loquuntur vel ipsi me tacente parietes, & decus deprædicant suum, quibus non vtiq; decentiùs erat rutilo condecorari auro, quàm pretioso vestro tingi Sanguine fulgor Cœlestis vestra ambiens tempora aut cum suaui odore virtutis, sacris erumpens oribus obuersat ante oculos toties mortalibus visus oculis. Est vnde glorietur fecundus ordo vester, aliorum facundis non vtiq; indigus laudibus, cui domi lucidi soles, Domi splendida nascuntur sydera, non vnquam deliquioni creatis connaturali subiecta rebus. Sed quid ego claritudini triumphi vestri, imò nostrum omnium tenuem meam oppono loquellam? Non vox mortalis rei tantæ sufficiet vbi conceptus ipsa multiplici vbertatis confundebatur mole. Adeò nemini mortalium contigit præmiari insigni laudum virtutem apotheosi, quæ præmiorum nescia omnia sub pedibus habens, cælos æquat altissimos: & cui tantùm in occasu suæ gloriæ veriùs obuenit experimentum. Eant hodierna lumina in suam claritudinem tantis angustijs linguam explicent meam, quorum Romana Maiestas accessit cum suo tripudio honori, quibus animas exhalantibus Sanctas totus cum dulci cantico occursauerat Cœlituum chorus, & nunc inter destinatos

ſacris virtutibus honores applaudit felicius qui-bus inter communia totius Chriſtiani Orbis vota; noſtra quoque Polonia graui calamitatum preſſa pondere, vixq; mille erroribus quaſſatum leuans caput aſſurgit; & tantam Maieſtatem obortis præ-ſummo gaudio veneratur lachrymis. Erigit ſpes noſtras Clarum patrocinij lumen cui in Diuina virtute & Panes multiplicare egentibus & medellã ferre dubijs, & ferali tactos officio in vitam iam deſperatam reuocare non minus ſolenne, quam glorioſum erat. Date leuamen o pia lumina flu-ctuantibus rebus noſtris, vota date pro no-ſtris votis & æque ſalutaria omina, quàm magna auete nomina

D I X I.